Cracoviensis Stud. Univ. Jagell.
Promotiones ord. Philos.
1648 3 aprilis
Konarzewski Georgii: Olympia Palladis.
c Pocz. 2783.

OLYMPIA PALLADIS.

Eximiis XI. Adolescentibus

Primam in Artibus & Philosophia Lauream prensantibus.

DVM

Excellentissimus & Doctissimus Dominus

M. MATTHIAS ZYSZKIEWIC,

Philosophiæ Doctor, ac Professor, Collega Minor,

Primam Classem promoueret.

A

GEORGIO KONARZEWSKI,

Contubernij Noscouiani alumno, eiusdem Laureæ Candidato, Metro palàm edito

CONSIGNATA.

Anno Domini, 1648. *Mense Apr. Die* 3.

IN ARMA
DOMVS PARIZANÆ.



MOenibus in rubeis hirtum cum fronte Leonem
Prægerit illuſtris, Stemma celebre PARIZ.
Quotquot enim Domuum deportant Stemma Leonis,
Rex Leo magnanimis, porrigit arma Viris.
Virtutum, pietatis, honoris, cernitur index,
Vnde PARIZORVM creſcit honore decus.
Debet ad hæc Verò, vocem Leo, non ego fallor,
Quin fuerint iſthac, Vera probanda Domo.

Perillustri & Adm. Rndo Domino,

D. ADAMO HIERONYMO

A PARIZOW

P A R I Z,

Præposito Cathedrali Cracouiensi, &c. &c. &c.

Sacræ Regiæ Maiestatis

SECRETARIO.

Domino & Patrono beneficentissimo.

POst exoluta, mutuo nobiscũ certantis Apollinis Olympia, Perillustris & Adm. Rňde Domine: tandem optatum iam, fauente cælo, attigimus terminum, atq; scopum: ad quem pridem nostrarum mentium cursus ferebatur. Retulimus honestum studiorum nostrorum, in stadio Philosophiæ brauium: dum benigna ingeniorum altrix Academia, Tua in nostris conatibus amplissima beneficia primæ Laureæ honore, in frequẽtissimo literatorũ Virorũ concursu præmiauit. Ne ergo in solenni primæ desponsationis nostræ die, muto, vocales Musæ, silentio, tristari viderentur, emisi in lucem exilem hanc lucubrationem, quà & publicum Laureati laboris actum cohonestarem; & Tuam aliquo amplitudinem gratitudiuis testimonio venerarer. Et ea quidem est virtutum Tuarum fama, vt publico orbis Sarmatici, præconio glorietur. Is dignitatis Tuæ splendor, vt malè oculatum esse oporteat, qui non eius pulchritudinem, mentis oculis, desideret contueri. Sed me comprimis Tua singularis in Matrem nostram Academiam propensio, in Tui venerationem pellexit,

xit, atq; incitauit: quam vsq; adeo adamasti, vt pretiosum vetustæ Domus thesaurum, sanguinem Tuum clarissimum, memoriam nominis, carissimam, sobolem Tuam; postpositis forsitan propinquitate loci, commodioribus gymnasiis; formandam ac educandam credideris. Auxit ingens hoc meum, amplius demerendis fauoribus Tuis desiderium, Tua in Noscouianum Contubernium nostrum munificentia singularis: quam (ingrati simus) nisi naturâ ipsa, cæloq; æmulam fateamur. Nam, vt fæcundus ager, singulis annis, nouum fructuum prouentum, cultori suo profert: sic Tua insignis munificentia, nobis singulis annorum reuolutionibus nouorum beneficiorum prouentum largiri consueuit. Nondum natura suam agris fœcunditatem reddit; iam Tua liberalitas singularis, sterilescente naturâ, in messem vberrimam beneficiorum Alumnis Tuis maturescit. Et cùm ager assiduitate fructuum in maciem decoquatur: Tua posterior liberalitas, vincit priorem, nec fit effæta gignendo; sed per vices fructuum fœcundatur. Adeo nescit stare semel incitata liberalitas, cuius pulchritudinem vsus ipse commendat, & velut Lunam plenitudo decorat. Horum beneficiorum Tuorum, memoriam, hæc tenuis scheda, vno omnium Alumnorum Tuorum nomine, in Tuo sinu beneficentissimo deponit: vt agnoscas Te non ingratos tantis beneficijs prosequutum esse. Suscipe igitur, Tibi innatâ benignitate, hunc immaturum quidem ingenij partum, sed maturæ gratitudinis nostræ Tibi debitum arrhabonem: & ampliorem in dies studiorum nostrorum prouentum expectans, Musarum Parens & nutritor bonarum artium vocari non erubesce. Datum Crac. in Contubernio Noscouiano Philosophorum, Die 3. April. Anno D. 1648.

Tuæ Perillustris & Adm̃ Rñdæ
Dominationis

Humillimus Seruitor

GEORGIVS KONARZEWSKI,
Contubernij Noscouiani Alumnus,
Eiusdem Laureæ Candidatus.

APOSTROPHE
Ad Almam Parentem Academiam Cracouiensem.

ODE Monocolos.

MAter Sarmatico, candida sub Ioue
Nùtrix ingenij, prouida Lechici
Artis gemma nitens, in Borealibus
Musis, limpidior fons ACADEMIA.
Pæstano placidè flore virentior,
Æternùm vireat fertilitas tua.
Probrosa careas vi furialium
Dictorum: vigeas laude perenniter,
Quæ nostram iuuenum construis indolem;
Sacratis graduum viuida Laureis,
Densis serta locans, fascibus herbida,
Ornas Muriceo tempora syrmate.
Excellens resonet Musa VITELLIVM
Rectorem Patriæ, peruigilem Scholæ,
Primùm Gymnasij namque Polonici
Custodem, Latia voce perinclytum,
Centenisque Patrum sedibus intimum.

Non sic stelliferum, pandit Atlas iubar,
Vt iusto placidè prominet elegans:
Succinctusque togâ, tectus epomide
Oraclûm retegit, quâ vice Delphicum
Prudens iudicio, tendit inambulans
Dulces Aonij, per latices chori:
Nunquam fama ruet præsenio grauis,
Protendet similes, Assyriæ vices
Phænicis, vetulâ carne reciprocam
Ætatem statuet, sicque Vicario
Ductu Palladiam, suppetet orbitam;
Vnquam nec vacuos comperiet Lares,
Quos non Thespiades circumeant Sacræ,
Iusto perpetui, consilij modo.

V O X
Ad Excellentissimos ac Doctissimos DD. Examinatores.

ODE Tricol: Tetrastroph.

VErni recurrunt prospera Cynthij,
Amica pictis floribus esseda:
Tellus nouato, sub colore
Quadrijugis variatur astris.

Illustre

Jllustre septem clima Trionibus,
Spectat Booten trans Aquilonium,
Fulget coruscis triste flammis
Sydus Hyperboream per Arcton.
Titan super Pelusiacam Pharum
Feruendo vestit germine, plantulas,
Et pingit herbis muricatis,
Pingue solum violasq; spargit,
Haustu redonans nimbifero vias,
Rident serenis prata coloribus,
Viua: & resurgunt, mortuo de
Flore Rosaria, flore campi.
Examinato lectior ordine
Magna Decani laude, potentior
LANCVCIVS vir gratioso
Eloquij sonitu fluentis.
Tum mente prudens, astrigeri poli
Iudex; diserto consilio grauis
STRAZYC nitescit, qui Camœnis
Arbiter ingenuæ iuuentæ.
Huc singulari dote, LEPIECCIVS
Accedit oris, Vir Latij sagax,
Pectus potenter delicato
Prægerit ingenio refertum.

Dec. et tres Exam.

Arguta suasu STRIIOVII suam
Laudem prealtis lingua fauoribus,
Aptat decenter, cum sonoris
Vocibus alloquium profundens.
Nunquam silescet, fama loqui tuum
Mater decorem, principe gloria,
Plerumq́ credam, mille circos
Verget Olympiadum per auctos.
Obscura flammis fax Erymantidos
Ignescet orbi quas super ingeret
Priscam Palæstræ doctioris
Eruet è tenebris Mineruam.

ENCOMIA
V. DD. CANDIDATORVM.

V. D. Francisco Cymerman.

PRimus Agonothetas valido præ Marte salutat,
Fortia qui primus, pertulit arma recens.
Opposuit vires animosa mente CYMERMAN,
Ingenio & magno pectore bella tulit.

Et vi-

Et victrice quidem perfecit Olympia cursu,
Compita nil metuens pulucrulenta viæ.
Mens acris, genio feruenti sistat acuta
Indole prudentem suggeret vsque modum
Cecropias princeps versabitur inter Athænas
Ni velit obliquè posteriora sequi.

V. D. Francisco APPEL.

FAusto prodijt ominis fauore,
Raro dogmate nemini secundus,
APPEL Castalio sitim fluento,
Nectar dulcius, hauriens reponit;
Curas Thespiadum probè molestas
In se pertulit, ad laboris æstum
Suffecit, geniumque Laureatum
Cursum tutus Olympicum peregit.
Vitam proposito venustiore
Susceptam moderabitur decenter.

AVgeri cupiet; Camœna dulcis
Palmam si viridem reportet vsu,
Prægrandi capiet decus: sed isthinc
Euentus generosioris artis
Lustret sorte secundus in secunda.

V. D. Martino Leßczynovvic.

BIsthonio quoties Thressam certamine Lunam
Attonita nutare dies, spe cernis adesse.
Grande periclorum discrimen habetur & æqua
Hinc ratio genij, confuso pectore, si rem
Misceat, ac solers LESZCNOWIC mente probatã
Indolis eiaculatur opem, quæ fronte notatur
Ex hilari, sensum prudentem pandit acuti
Ingenij, quod Apollo fauens fouet arte nouenas
Sæpè Deas veneratur, vt offert tempus idipsum,
Ætatisq; vigil labor, in conamine sensus.

V. D. Stanislao Piotrovvicki.

Æquo iure Diespiter
In PIOTROVICIUM moris, & Artium
Ingessit cumulum lubens
Passu præcipuo, tractet vtrumlibet
Non vt Thraces Achaica
Induti grauiter veste superbiunt,
Si quantum deceat status.
Pimplæis, at vbi plena sororibus
Mens viuit, tacitè tegi
Præstat: ceu placida fronte, probat tuam.

Virtus

hic postea ... scholaris Vladisl. Praepositus ad S. Spiritus Hospitalis Bieciensis extat ibi epitaph.

Virtus fulgida gratiam,
Et mens vt Becij nata penatibus
Ortiuo regitur bono.
Affinem ſequitur, cælicipem propè,
Vt clarere queas procul.
Citra Scommatici figmina Zoili.

V. D. Alexandro Mikoſsovvski.

RIte MIKOSOVIVM feſtiua voce decenter
Melpomene reſonat.
Verniger Arctoas, aries ſuccendit, vt oras
Sole refectat humum.
Creſcere cuncta ſinit: virtus promota vireſcat,
Eſt opus ingenio.
Præſidium retines naturæ Matris amandæ,
Arte foueque graui.
Ne pigeat modico contentum viuere: plura
Sunt adeunda tibi.
Magni cenſetur ſolertia, pluris apertum
Palladis officium.
Ne patiare moras decurrere lucis inertes,
Deſidiamque fuge.

V. D. Matthiæ Sieteski.

NIl iuuat certè gracilis Camænæ
Vena ſed ſuetas libeat SIETESKI.

Sedulo niſu decorare Athenas,
Atticas olim Plato Socrateſque
Et Sophûm, ſicut numeroſa ſedes
Turba compleuit grauiore cura,
Improbum ſuadet, Maro ſeu laborem
Proſequi prodeſt animum iuuare,
Martio prorſus, ſapienter auſu
Non leuem, rerum ſeriem reportat
Peruigil crebrò ſtudium, meretque
Æuiternarum monumenta laudum.

V. D. Caſimiro Iáſnovvski.

CLaret venuſtior laus Candidatorum,
IASNOVII nitor Muſæque feruentis
Iam promicare cæpit frons: Achiuâ ceu
Tellure ſolis aurati, dicens vultus.
Multas ſcientiarum glorias vno
Concluſit in globo, nec non peritarum
Fæcundiore dotum, mente congeſsit
Vim non leui refectam (ſpecto ceu) captu.
Quanquam pelaſga Lybetris, modos plures
Offert ſagaciùs captare IASNOVI,
Vrgere laus vt ardorem Camænarum,
Nunquam deeſt tuo, Pallas fauens cordi.

V. D. Stanislao Gerhart.

PEruium mentis genium capacem
Fert GERHART Muſæ, (placet vt notari)

Indo-

Indolem forti, vegetè palæstræ
Creuit adultus.
Sæpè confertis animosa sensis
In laborato penitus vigore,
Herculis præfert generosioris
Gratia vires.
Trita nocturnis requiesce curis,
Nox scijt rara: potiùs secuta
Præscios ductus animi per auctas
Temporis horas.
Perge felici volucris benignæ
Omine, auspex te placidè salutat,
Hinc Apollo te satiatus arte
Auget honore.

V. D. Andreæ Osuchowic.

CAndor dulciloquo feruet Apolline,
Suaues Dulychium promit ebur sonos,
OSVCHOVICIO munera conferens.
Ne suetas animo deseret anxio
Dotes, sed libeat pergere fortiter,
Ne vindex Nemesis proterat impetu.
Neglectis semel in sedulitatis, &
Conatus studijs esse nocet leuem.
Desiccentur aquis labra nec arrida,
Ac sicut sitiat sons gula Tantali
Labrum Castalio, prolue flumine,
Gustu perpetuo sic satiabere.

V. D. Laurentio Radosiensi.

SI quam pectoris indolem
RADOSCENSIS habet, velut
Formam Palladis Atticæ,
Insignem docili tenet.
Mente nouenarum vires præfertque sororum,
Vt non intereant opes,
Quas nôris validas fore,
Sortis scilicet hospitis,
Virtus paupere nec satis
Muta sedet penetrali: dextera Væiouis vltrix
Vi castigat inertiam,
Comprendas celer vsibus,
Musas continuis sacras,
Tempus procinet obuias,
Harmonias laudum simul hinc lætabere tutus.

STANI-

STANISLAVS PIOTROWICKI

V, D. GEORGIO KONARZEWSKI,

eiusdem Laureæ Candidato, & Vati, vice gratitudinis offert. votiuum Carmen.

PLauserit æthereâ, tellus ope, solis ac superni
Iubar refulgens, temperat polarem
Orbe facem, rotat auratas facie genas corusca,
Cultæ Poësim luce dulcioris
Phœbimicus radiat Titan procul, & potentiori
Probare sueuit, Gratias honore.
Cultu KONARZEVII, Musas resonat fauentiores,
Chelys, sonoro tenta pulsat ære,
Naso, Maro, cui debent plurima, digniore metri
Sono, Polonam suscitat Mineruam.
Plausibiles pariter, vocum modulos adegit, ausu
Poëtico; quos lætiore traxit,
Fontis Apollinei pôclo: Rhodopæius choraules,
Feras, volucres non tetendit olim
Tot: quot enim satiauit carmine delicatiorum,
Fluente Vatum corda, mulsit aures.
Exhibeat docili, plures Helicone gloriosè,
Deas morari, vixerintq; secum.

In Arma. Almæ Vniuersitatis Cracouiensis.



E Geminis fabricatur Crux Academica Sceptris,
Simplice nonque minor de Cruce crescit honos.
Crux Iuuenes studio moderari dura videtur,
Crux ferat, vt meritum, de Cruce passus ait.
Alma Crucem Mater perfer quantumque labore,
Post Crucis angores, certâ stat axe quies.

CRACOVIÆ,
In Officina Typographica Francisci Cæsarij S.R.M. Typographi. Anno D. 1648.